Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8447
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



cxxxx

Tum. P. Sta iij ad thymoth.
Finis præcepti est caritas: de corde puro et conscientia bona et fide non ficta. A quibus quidam aberrantes conuersi sunt in uaniloquium: uolentes esse legis doctores: non intelligentes neque quæ loquuntur: neque de quibus affirmant. Scimus autem quia bona est lex. si quis ea legitime utatur. sciens hoc quia lex posita iusto non est. sed iniustis et non subditis. impijs et peccatoribus. scelestis et contaminatis. patricidis et matricidis. homicidis et fornicatijs. masculorum concubitoribus. plagiatijs mendacibus et periuris. et si quid aliud sane doctrine aduersatur quæ secundum euangelium gloriosi dei quod creditum est mihi. Gratias ago ei qui me confortauit in xpo ihu domino nro. S. Marcum.
Illo t. d. d. i. d. suis. Habete fidem dei. Amen dico uobis. quia quicumque dixerit huic monti tollere et mittere in mare: et non hesitauerit in corde suo. sed crediderit quia quod cumque dixerit fiat: fiet ei. propterea dico uobis. Omnia quæcumque orantes petitis: credite quia accipietis et uenient uobis. Et cum stabitis ad orandum: dimittite si quid habetis aduersus aliquem. ut et pater uester qui in celis est dimittat uobis peccata uestra. Quod si uos non dimiseritis: nec pater uester qui in celis est dimittet uobis peccata uestra. Sta v ad Ephesios.
Igitur et testificor in domino ut iam non ambuletis sicut gentes ambulant in uanitate sensus sui tenebris obscuratum habentes intellectum alienati a uita dei per ignorantiam quæ est in illis. propter cecitatem cordis ipsorum. qui desperantes semetipsos tradiderunt in luxuriam. in opera coinquinationis omnis in auaritia. Vos autem non ita didicistis xpm. Sm Marcum.
Illo t. d. d. i. d. suis. Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis remetietur uobis et adicietur uobis. Qui enim habet dabitur illi: et qui non habet etiam quod habet auferetur ab eo. Et dicebat. sic est regnum dei quemadmodum si homo iaciat sementem in terra. et dormiat et exurgat nocte ac die. et semen germinet et crescat dum nesciat ille. Vltro enim terra fructificat primum herbam deinde spicam. deinde plenum frumentum in spica. Et cum se produxerit fructus: statim mittit falcem. quia